





4.  
Ex num.

16

1785, 7.

PROGRAMMA

Q V O

DE

IVRISPRVDENTIA ECCLESIASTICA

CAVTE TRACTANDA,

SPECIMEN PRIMVM SISTIT,

SIMVLQVE

PRAELECTIONES

PER INSTANS SEMESTRE

AESTIVVM

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

INSTITVENDAS,

INDICIT

IOANNES CHRISTIANVS

QVISTORP


IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.



ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS,

KOENIGLICH  
UNIVERSITÄT





## PROEMIVM.



In explicanda Iurisprudencia ecclesiastica, praecognita imprimis enucleanda esse, omnibus illis patet, qui primis tantum labiis, hanc scientiam gustarunt. Ab eorum enim legitima determinatione, singulae Iuris Ecclesiastici materiae fere dependent, omnesque Conclusiones in eodem formatae, modo tunc veritate nituntur, si praemissa siue principia generaliora, non ex principiis hierarchicis, sed ex natura societatis aequalis, sunt formatae et sic ecclesiae genuino conceptui congruunt. Haud igitur rationibus destituitur ille, qui in iis sedulo atque accurate interpretandis, o-

mnem" collocat curam, quod etiam cognouerunt, Viri  
Eruditionis laude maxime conspicui, *Pufendorff, Mos-*  
*heim, Pfaffius, Thomafius, Perifch, Gerhard, Floerck,*  
*Boehmeri*, pater et filius. Periculum feci, doctrinas ce-  
leberrimorum Virorum in vsum honoratiffimorum Au-  
ditorum adcommodare et Iurisprudentiae Ecclesiasticae  
Germanicae principia fundamentalia, commentatiuncu-  
lis fuceffiuus, vel coniunctim in lucem edere. *Sacra*  
*Scriptura, leges atque pacta Germaniae, Instrumenta*  
*pacis atque transactiones, Antiquitates, ftudium Conci-*  
*liorum, Historia Reformationis, Politica atque Philofo-*  
*phia moralis, et tandem ius Canonicum, quoad receptum,*  
sunt fontes ad quos, in hac materia omnia redeunt. Qui  
cum fepe neglecti sunt ab aliis, errorum origo, quoque  
ex iis potiffimum coepit et inde factum, vt ecclesiae vel  
plane omnia iura negata, vel maxima et eius notioni  
repugnantia, non fine graui Reipublicae detrimento,  
fint tributa. Vtrumque autem euitari poffe arbitror.  
Faxit Deus, vt propofito respondeat euentus.

SECTIONO



## SECTIO I.

SISTENS INSTITVTI RATIONEM ET EXPLI-  
CATIONEM QVORVNDAM TERMINORVM  
IN EXPLICANDA IVRISPRVDENTIA  
ECCLESIASTICA OCCVR-  
RENTIVM.

---

### §. I.

**S**cientiam legum ecclesiasticarum earumque ad facta appli-  
cationem, dicere possumus *Iurisprudentiam ecclesiasticam*. Hae  
leges autem concipiuntur vel ex notione seu conceptu eccle-  
siae, vel ex legibus societatis ad ecclesiam adcommodatis,  
vel rationem suam in voluntate cuiusdam superioris agnoscunt.  
Priori duplici in casu iurisprudentia ecclesiastica erit *vniversalis*  
sive philosophica, quae pro obiecto habere potest negotia eccle-  
siastica, vel Imperantis et subditorum, vel subditorum inter se.  
Illam Doctores nominant *Iurisprudentiam ecclesiasticam publicam vni-  
uersalem*, hanc vero *privatam vniuersalem*. Posteriori autem in  
casu iurisprudentia ecclesiastica dicitur *positiua* sive specialis ea-  
que versatur circa leges, quae dependent, vel a Deo, vel ab ho-  
mine. Illa appellatur *positiua diuina*, haec autem *positiua humana*.  
Leges ab hominibus ortae, ad negotia ecclesiastica determi-  
nanda, sunt vel scriptae, vel non. Complexus Legum ecclesia-  
stica-



ficarum non scriptarum, constituit *Observantiam Ecclesiasticam*. Leges scriptae autem obligant vel totum orbem Christianum, vel partem orbis christiani. Priores dicuntur *Leges ecclesiasticae generales*, quae tales vel ex mente Catholicorum, vel Protestantium eueniunt. Notitia harum Legum posituarum earumque ad facta applicatio, dicitur *Iurisprudencia ecclesiastica positua generalis*, quae pro diuersitate obiectorum vel Catholicorum, vel Protestantium generalis esse potest. Si autem Leges tantum partem orbis Christiani obligant, illae tum audiunt *particulares*. Dantur autem ejusmodi Leges et secundum mentem Pontificiorum et Protestantium. Scientia illarum constituit *Iurisprudenciam Canonicam in sensu specialissimo*, harum autem *Iurisprudenciam ecclesiasticam Protestantium vel Lutheranorum*, vel *Reformatorum*.

#### SCHOLIION.

Observantia cum occupata sit in re meri arbitrii, quamuis adsint conformes actus, iique non interrupti, nisi intercedat taciti pacti natura, quod fit, si observantiae contrarios actus improbauerint, singula ecclesiae membra, destituitur fundamento obligationis. Dantur multae observantiae ecclesiasticae et generales et speciales. De illis inter plura notari meretur, primitivae ecclesiae mos, fidei controversias in conciliis decidendi. Plura alia exempla occurrunt in ipsa pertractatione Iurisprudenciae Ecclesiasticae.

#### §. 2.

Diximus in §pho praecedenti, dari jurisprudentiam ecclesiasticam vniuersalem. Dicitur autem vniuersalis, quia illas continet leges, quae in omni ecclesia, qualiscunque ea sit conditionis, nullo respectu habito ad certam aliquam Scholam, vel societatem ecclesiasticam, causarum normam determinant. Et quae grauissimas ob rationes ante explicationem jurisprudentiae ecclesiasticae positivae, erit pertractanda. Inde enim a) verus conceptus legum ecclesiasticarum pater, b) quoniam omne quod vniuersaliter in omnibus Ecclesiis valet, quoque subordinata legum applicatio expedita redditur, c) tam imperantium, quam ob remperantium jura optime concipi et a se distingui possunt, d) quid-





d) quidquid vel circa credenda, vel circa agenda officiorum Iuris, nobis incumbere potest, id omne ad principia generalia reduci posse, eamque reductionem, commodum habere, nemo dubitabit, e) inde depromenda est interpretatio legum ecclesiasticarum positivarum, harum si ratio ignoratur, nec verus illorum sensus aliunde constat.

§. 3.

Rationes igitur sufficientes habemus, in docenda Iuris prudentia ecclesiastica positiva, principia vniuersalia praemittendi, ne quasi illotis manibus, cultores Iurisprudentiae huius partis, Iuris scientiam ecclesiasticam positiuam tractent. Optimum itaque in explicatione Iurisprudentiae ecclesiasticae ordinem teneant, qui agerent 1) de Ecclesia qua societate approbata in republica considerata, Iuribusque in hoc statu ei competentibus. 2) De Iuribus summi Imperantis intuitu Ecclesiae tam recipiendae, quam receptae absque respectu ad Leges positivas et pacta cum membris ecclesiae celebrata. Omnia quae in sequentibus de iuribus ecclesiae, quae ipsi competunt, quatenus est Collegium approbatum, et de iuribus Imperantis erunt dicenda, recte etiam applicantur ad ecclesiam christianam. Haec enim, quamuis in prima sua origine sub Imperatoribus gentilibus negotia sua cultum diuinum spectantia, valide adornaerit, iura tamen Imperantium nequiquam negauit, quod quippe crescente demum potestate episcoporum et imprimis pontificis romani in ecclesia Catholicorum factum. Hinc 3) historiam et notionem ecclesiae iuxta dogmata Pontificiorum consideraret. Cum autem magna Europae pars, ab immani iugo Papae Romani per reformationem infecutam liberata fuit, quoque 4) praemittere deberet aliqualem historiam reformationis vna cum genuino conceptu ecclesiae secundum mentem Protestantiam. Quibus consideratis 5) nexum religionis Catholicae et Evangelicae seu iura communia, quae vtrique religioni per pacem religiosam et Westphalicam sunt stabilita, sedulo enuclearet. Tunc autem 6) pertractanda foret historia Iuris Canonici, et 7) ejus receptio tam apud Catholicos quam apud Protestantes.



stantes. Vbi simul diiudicanda veniret quaestio in quantum praepriis apud Protestantes sit receptum, 8) respiciendum esset, quousque Ius Canonicum adhuc valeat in foris Protestantium. Quibus peractis etiam demonstrandae essent. 9) Leges ecclesiasticae praeter Ius Canonicum valentes, tam apud Catholicos, quam apud Protestantes, scilicet leges speciales positivae siue particulares. Ut autem omnia adducantur, quae ad completam cognitionem Iuris ecclesiastici pertinent, quoque 10) subsidia Iurisprudentiae ecclesiasticae consideranda, et 11) Scriprores eiusdem forent allegandi. Ultimo loco in generalioribus 12) de Cautelis in addiscendo Iure ecclesiastico agendum esset.

## S. 4.

Antequam jura ecclesiae ceu Societatis in Republica approbatae consideramus, quidam termini in explicatione juris ecclesiastici saepius occurrentes, sunt explicandi. Ea via, quae Ius Naturae tam stricte sic dictum, quam *Ius Sociale, Ethica, et Theologia Naturalis* intuitu cultus divini et obligationis omnium hominum ad Deum colendum praecipit, hoc loco repetere non lubet. Hinc quid sit cultus divinus, quid theoreticus, quid practicus, quid verus, quid falsus, aliis inuestigare relinquimus. Explicationem autem non inutilem habemus, sacrorum internorum et externorum, conscientiae, eiusque libertatis atque servitutis. Sunt autem *Sacra interna*, quae assensum doctrinarum fidei et cultum internum et quidquid ab hoc praeterea in externo absolute dependet, respiciunt, a doctrinarum veritate cognita et a convictione dependent, per imperium vero et coactionem non obtinentur. *Sacra autem externa* audiunt, quae ab internis non absolute pendent, et varia ratione determinari possunt, humanae dispositioni obnoxia. Vid. G. L. BOEHMER in *principiis Iuris Canonici, speciatim Iuris Ecclesiastici publici et privati, quod per Germaniam obtinet*, §. 2. Conscientia dicitur Iudicium hominis de officii, quae Deo, sibi et aliis debentur. *Libertas vero Conscientiae*, consistit in facultate, iudicium de sacris internis formandi, per rationes ab eorum veritate desumptas, non vero secundum arbitrium et praescriptum alterius, eidemque iudicio actiones suas confor-



conformandi. *Seruitus Conscientiae* autem adest, si iudicium de sacris internis vnice subiectum praescripto alterius, ad idemque actionum conformatio vnice instituitur. Manet principium istud saluum, nullum dari coactionis Ius, de iis, quae conscientiae sunt contraria, nec pactum valet. Respuit enim conscientia omne imperium vid. I. H. BOEHMER in *diff. de iure circa libertatem conscientiae*, §. 24. qui tyrannidem sacram appellat.

## SCHOLI ON.

Quae intuitu sacrorum internorum et externorum, adhuc notanda veniunt, item quae respectu libertatis atque seruitutis conscientiae sunt attendenda, et quomodo praeprimis libertas conscientiae omni iure licita distinguatur, ab illa libertate prohibita sentiendi, profitendi, docendi, quidquid placuerit, vna cum allegatione scriptorum huc pertinentium in praelectionibus optime notabimus.

## SECTIO II.

## DE IVRIBVS ECCLESIAE TANQVAM SOCIETATE IN REPVBLICA CONSIDERATA.

## §. I.

Societas hominum aequalis inter se per eandem confessionem fidei vnitorum ad religionis scopum obtinendum dicitur *Ecclesia externa seu visibilis*. vid. I. H. Boehmer in *Inst. Iur. Can. Lib. 1. Tit. 1 §. 4.* Si scopus vnitorum est religio Christiana, quoque inde *religio christiana externa* concipitur. Vnio in eandem fidem & in eundem cultum, publica ecclesiae auctoritate atque consensu recepta fidei professio, dicitur *vinculum ecclesiae*, eius *symbolum*, siue ejus *Confessio*. Scripta eadem auctoritate recepta aurem, quibus dogmata Ecclesiae componuntur, *librorum symbolicorum* acceperunt nomen. De symbolo Ecclesiae note-

B

tur



tur a.) quod salva seruata vnione fidei, eadem semper Ecclesia maneat fidei simbolo conformis, hac autem sublata, ea intereat. b.) Quod a diuersa fidei confessione, oriatur diuersitas ecclesiarum. Cum Ecclesiae vnus sit finis, nempe cultus diuinus, sequitur ratione finis vnam tantum esse ecclesiam, At vero, cum variae notiones de Deo diuersique colendi modi possint esse, concipi possunt diuersae Ecclesiae, aut scholae vel sectae, quae diuersas constituunt ecclesias. c.) Quod in eadem ecclesia non possit admitti facultas; doctrinas cum confessione Ecclesiae pugnantes profitendi & disseminandi, saluam tamen manere cuius facultatem ab ea suo periculo discedendi, et ad alios coetus transeundi. De libris symbolicis notari meretur, 1.) effectum potestatis ecclesiasticae esse, ius efficiendi, vt libri symbolici constituantur. 2.) Libros symbolicos omnia ecclesiae membra debent approbare, & qui illos non approbat, inter determinatae ecclesiae membra referri nequit. 3.) aliud est, vt libros symbolicos comprober, aliud eum, qui eos non approbat, pro determinatae ecclesiae membro non habere. Illud imperium ab Ecclesia distinctum inuoluit, hoc vero potestatis ecclesiasticae effectus est. 4.) Qui propositiones in libris symbolicis propositas negat, referri nequit inter determinatae ecclesiae membra, omnino autem pro membro ecclesiae is habetur, qui veritates alii quam fieri solet, sed tamen veris argumentis corroborat. Vnica enim veritas variis rationibus demonstrari potest. 5.) Ille qui dubitat de veritate dogmatum ecclesiae, pro membro Ecclesiae omnino habetur. De quo enim quis dubitat, illud haud negat. vid. *Daries in Inst. Iurispr. vniuers.* §. 888. *Corr 1 H. III. IV.* Notandum autem est, vt vere dubitet, non neget, nec dubia sua propter. Hinc aduersus leges Sacrae Scripturae haud publice disputet. Alias est dubitatio negatiua, quae in negatione coincidit.

#### SCHOLIION.

Defendimus in Spho. praec. ecclesiam sublata vnione fidei interire, siue haud manere eandem, quod illi negant, qui principii de *existentia symbolorum accidentalium* adhaerent, alioque sensu symboli



boli terminum ac in Spho. adductum, accipiunt. Intelligunt potissimum sub hac nominatione ritum, qui adesse & abesse potest. Hinc non semper sequitur, prioribus ritibus abrogatis, nisi simul signarum abrogetur, si noua introducantur, ob id non desisse, eandem esse ecclesiam. vid. *Breuning in Elementis Iuris Eccles. vniu.* §. 67. neque vero sacramenta ecclesiae christianae comprehendas sub symbolis accidentalibus. Haec enim non ab Ecclesia introducta, sanctiora sunt, cum a Deo ipso instituta, nisi ritum vrendi sacramentis huc referas. Sic non peccauit ecclesia christiana recentior, quae symbolis eucharisticis stando fruitur, cum primitiua sedendo post agapetas caperet, sic non taxanda est Ecclesia noua, quae adspargendo baptizat, cum antiqua baptizaret per immersionem, de quo tamen aliqui dubitant.

## §. 2.

Ex definitione Ecclesiae spho praecedenti suppeditata jam prono alueo fluit, a.) Ecclesiam esse societatem et quidem b.) aequalem c.) constituere Collegium in republica d) eam non intendere commercium aliquod ciuile, sed salutem animorum, e.) constare ex bonis et improbis, f) occurrere in ea Doctores et auditores, g) denique denotare illam, vniuersum coetum. vid. *Pertsch in Elementis Iuris Canonici et Protestantium ecclesiastici L. I. T. I. §. 19.* Est itaque ecclesia societas. Haec autem est status, quo personae in personam competit ius perfectum et affirmatiuum communis utilitatis promouendae causa. Ejusmodi autem societas est aequalis, si ius personae in personam, vnice a natura societatis dependet. vid. *Daries l. c. §. 521. & 550.* Tam notio societatis, quam aequalitatis iure competit Ecclesiae. Consensus igitur omnium membrorum in omne, quod in Ecclesia fieri debet, est necessarius per notionem Ecclesiae (vid. sphus praec.) Ex dictis nobis sequentia colligere liceat, quod nempe Ecclesia 1.) non constituat statum in statu, vel speciem reipublicae. 2.) ea quidem indigeat directione, vt ordo conferuerur, ita tamen, vt omne imperium cesser, hinc etiam Doctoribus illud nullo modo comperat. 3.) Nulli igitur membro ecclesiastico qua tali, imperium sacrum,



Ius ecclesiam repraesentandi, aut potestatem leges ferendi, aut liturgiam adornandi, tribui potest. 4.) Ecclesiae ceu societatis aequalis consideratae natura non mutatur, et non inaequalitas adest, si princeps Ecclesiae accedit. Non in tali casu consideratur ut Princeps, sed ut membrum Ecclesiae, dignitates ipsius quiescunt, nullumque effectum producant. vid. *Pufendorf de habitu religionis Christianae ad vitam civilem*. §. 4. 5.) Cessat erronea divisio ordinum in republica visitatorum, sed Ecclesiae conceptui disconvenientium in dem Lehr- Wehr- und Nehr-Stand. Comuni consensu mutuaeque conventionione 6.) leges ecclesiasticae formari possunt, quae olim constituiebant disciplinam ecclesiasticam. 7.) Poenae conventionales quoque in societate aequali locum possunt habere, et cuilibet membro Ecclesiae vi pacti ea mala inferuntur, quae communi consensu sunt stabilita in casu, si quis contra unionem fidei ex societate agit.

#### SCHOLIUM.

An vero in Ecclesia nihil ordinari possit, nisi unanimo Consensu eoque libero, quod ex natura societatis aequalis eruere studeat. *Breuning in primis lineis iuris ecclesiastici uniuersalis*, p. 18. §. 23. de eo merito dubitamus, dum, posita Ecclesia, quoque ponendae sunt leges Conuentionales, quae obiectum et modum deliberandi in causis ecclesiasticis determinabunt. Ecclesia enim, quae finem suum obrinere cupit, etiam in praecauendo eo sollicita erit, ne vnus membri dissensus optimorum consiliorum executioni sit impedimento. Membra societatis ecclesiasticae esse possunt, qui consentire queunt, & quorum receptio neque fini, neque mediis ecclesiae repugnat.

#### §. 3.

Non omnis Ecclesia etiam licitum finem habens, tamen inde non gaudet iure societatum licitarum, nisi gratia Principis pro collegio licito et in ditione sua admittendo sit declarata, et in hoc sensu dicitur ecclesia *orthodoxa*. Ab arbitrio principis dependet, num velit ecclesiam *in totum vel in tantum*

*tantum tolerare.* Quod arbitrium principis autem semper per respectum ad salutem publicam ciuitatis determinatur, atque non sine grauissimis rationibus in permittendo, vel negando religionis exercitio, imperans procedat. Prius scilicet receptio intotum fit, si ei omnia collegiorum licitorum iura tribuuntur; Posteriori autem, si illi tantum quaedam approbatorum collegiorum privilegia conceduntur. Haec autem ex tenore eorum sunt dimensuranda et in tali casu Ecclesiae in tantum approbatae, modo ea iura competunt, quae approbans concedere voluit potuitque. Tantum autem abest, ut haec, quae jam dicta, etiam intelligenda essent de ecclesia in totum reprobata. Huic enim plane nulla iura competunt in republica, et omnis notio alicujus potestatis ecclesiasticae plane cessat. Deneganda est ejusmodi Ecclesiae, facultas conuentus instituendi, bona possidendi, & per pacta membrorum societatis ita obligationem imponendi, ut iudex civilis ea attendat. vid. *Engau in Elem. Jur. Canon. p. 20. §. 43. 45.* Sed haec materia in sequentibus pluribus erit inuestiganda. Liceat nobis hoc loco supponere ecclesiam jam ab Imperante pro orthodoxa declaratam. Huic, vigore receptionis competit ius, omnia media adhibendi ad scopum suum obtinendum, siue jus efficiendi, ne quid in Ecclesia contra ordinem fiat. Posita igitur ecclesia approbata, ponitur etiam *potestas ecclesiastica*, quae est jus ea dererminandi, quae ad ecclesiae finem obtinendum et promouendum pertinent. Vid. *G. L. Boehmer l. c. §. 6.* Concurrunt in exercitio potestatis ecclesiasticae autem omnia et singula ecclesiae membra \*\*). Sicuti olim in seculis prioribus Ecclesiae christianae factum. Vid. *Blondellus de regimine plebis in Ecclesiam.* Obiectum potestatis ecclesiasticae, haud sunt sacra interna, sed tantum externa.

## SCHOLIION \*)

Putat quidem celeb. I. H. Boehmer in *Instit. Jur. Can. §. VII. et VIII.* magnam differentiam esse statuendam, respectu Ecclesiae a caeteris Collegiis civilibus, quod licet in et sub republica esse queat, substantiam suam tamen non vnice a republica eiusque approbatione habeat, sed finem suum assequatur sub eius oppressione



sione et persecutione. Sed cum Vir celeb. concedit, ecclesiam in hoc casu esse Collegium tantum privatum sine effectibus civilibus, omnia determinans mutua Conuentione, superflua esset illa inuestigatio, vtrum eiusmodi Collegio privato, potestas ecclesiastica competat, nec ne. Negatiuam sententiam in ipso conceptu potestatis ecclesiasticae fundatam esse videtur. Obiectum enim nostri iuris sola erit ecclesia externa, non interna, (s. inuisibilis) quae ex sola conscientia pender. Ecclesia interna huius disciplinae obiectum non est, cum in ea vix deprehendatur idea societatis, nisi quod cum omnibus hominibus ea innata sit, Dei colendi obligatio et animi Consensus et notio de summo numine; societas improprie dicitur hic cogitationum consensus.

SCHOLION. \*\*)

Si potestatem ecclesiasticam omnibus & singulis Ecclesiae membris tribuimus, nobis tantummodo sermo est de ea, quae originem et foundationem suam a se ipsa habet, non vero de ea, quae a principe instituta atque erecta est. Manet enim plerumque eo in casu non amplius societas aequalis, sed potius euadit inaequalis. Auctores, qui pluribus de potestate ecclesiastica agunt. Vid. in Comp. G. L. Boehmeri §. 4. et in Mosheimii Alg. KirchenRecht pag. 450.

SCHOLION \*\*\*)

Quaeritur an in negotiis cum aliis suae religionis consortibus expediendis sibi ius legatorum tribuar Ecclesia? quod merito negamus. Ecclesia enim constituit Collegium in republica, principis supremae inspectioni subordinatum (v. §phus praec.). Eiusmodi societas autem non inuoluit ideam gentis, gentes vero liberae tantum habent ius legatorum. Proprie procuratoribus, quos ad alios mittit Ecclesia, iura legationis tribui nequeunt. De procuratoribus Ecclesiae eadem valent, quae intuitu eorum, generatim in legibus sunt sancita.

§. 4.

Iura singula, quae insunt potestati ecclesiasticae *iura ecclesiae collegialia* dicuntur, quae ita nominantur, quia in exercitio



citio eorum, omnia et singula Ecclesiae membra concurrunt, nisi illa exercitium iurium suorum quibusdam personis ex Ecclesia demandauerint. Quo facto iura Ecclesiae, quodammodo quidem erunt inaequalia, quia inde personarum distinctio oritur, ita tamen ut propterea non exuat naturam collegii, ac nequidem tunc, si et ipse princeps ei accedit, licet hoc in casu naturam Collegiorum ciuiliu ita impetret, ut effectibus corporum in republica approbarum gaudeat. Iura omnia et singula Ecclesiae collegialia fere ad haec tria redeunt momenta, nempe 1) ad ius adornandi cultum diuinum, 2) determinandi ea, quae instar medii se habent ad eundem finem promouendum. 3) Remouendi impedimenta finis communis. Vid. Mosheim l. c. p. 448. n. 7. Dum Ecclesiae competit Ius adornandi cultum diuinum quoque arbitrio eius manet relictum, ius determinandi omnia ratione actuum sacrorum, ratione modi loci atque temporis, nisi haec facultas aut adempta aut a principe restricta est. Ad finem suum obtinendum ecclesia omnia licita, et sufficientia media adhibere potest. Hinc de negotiis suis valide disponit, bona acquirere et possidere potest, et eorum, quae possidet, administratores constituit. Quicumque sunt modi acquirendi alias legitimi, ii quoque ex applicato iure naturali, societati ecclesiasticae erunt legitimi, necessaria tamen semper erit a membris facta destinatio, ut sint communia bona ecclesiae. Si ecclesia per pacta propria sibi constituit bona, videndum est, ad quem usum data et constituta sunt, ad eundem quoque usum applicari debent. Quod si vero ad nullum certum usum determinatum data, ad singula membra eorum pertinet usus, ita tamen ut ratio finis Ecclesiae habeatur. Ex hoc principio etiam concipitur, Ius ecclesiae coeundi in Conuentus et Synodos, et mutua conuentione condendi symbola, et leges conuentionales, ius constituendi ministros Ecclesiae et ius collectandi. Ecclesia gaudet iure remouendi impedimenta finis communis, inde concipitur Ius reformandi siue abusus tollendi, Ecclesiae ministros munere male fungentes remouendi, ius excommunicandi, et poenam quandam determinandi in casu, si leges conuentionales non a membris Ecclesiae obser-



obseruantur. Haec potestas constituit *disciplinam ecclesiasticam*, quae autem nullos effectus in ciuitate producit, nisi princeps Ecclesiae hanc potestatem expresse dederit. Vid. *Engau.* c. l. p. 21. §. 44. Schol. De Iuribus collegialibus vid. praepri-  
 mis *Wiesenhauer de iure Conventionali sacrorum dirigendorum.* *Floerck de iure Principis circa sacra subditorum diuersae religionis Sect. I. §. 3.* *Schroederi dubia quaedam contra Iura ecclesiae collegialia recens prolata,* *Ien.* 1755. *Pfaff. de iure sacrorum absoluto et collegiali.* Quaeritur an ecclesia possit pactum maiestaticum inire, quod autem omnino negandum erit, quippe finis ecclesiae diuersus est a fine, propter quem maiestas constituitur.

SCHOLION. \*

Recte monet celeb. *Mosheim l. c. p. 451. n. 1.* iura Collegialia comperere ecclesiae vi approbati in Republica Collegii. Erronea igitur est illa opinio Thomastica et Hobbesiana, illorum exercitium societati sacrae, haud esse tribuendum, sed principi vindicandum, eiusque arbitrio liberam esse dispositionem circa sacra ecclesiae interna et externa. Prius scilicet dispositio imperantis circa ecclesiae sacra interna, repugnat iis, quae ex notione ecclesiae symboli *Sect. 2. §. 1.* sunt deducta. Posterius autem seu principis ius circa adia phora, cessat nisi ipsi vel pacto, vel legibus vel praescriptione seu diuturna possessione, vel iure deuolutionis sunt tributa, vid. *Sect. 3, §. 5, Coroll.* Nec praxis primitivae ecclesiae obstat, nec leges I. R. G. fundamentales. salua enim manet adhuc hodie iis ecclesiis exercitium iurium suorum collegialium, in quibus iurisdictione dioeceseana vel episcopali abrogata, imperans diuersae religionis est, ac religio recepta, quod ex frequentibus (*Sect. VI.*) elucescet Valide etiam ordinat omnis ecclesia ea, quae ad scopum obtinendum pertinent, quamuis exercitio religionis tantum priuato gaudeat, nisi haec potestas vi saepe iam monuimus, quodammodo sit restricta et limites potestati ecclesiasticae a principe sint praescripti. Qui si etiam haud sunt stabiliti tamen semper potestas ecclesiastica tantum supra principis inspectione et aduocatae iure saluo manente conce-  
 pitur, vid. *infra Sect. 3. §pho 3.*

SCHO-

## SCHOLIION. \* \*

Ecclesia si iura sua in corpore amplius exercere nequit, tunc administrationem negotiorum suorum, quibusdam ecclesiae membris demandet. Non autem omnia ecclesiae iura, aliis exercenda committi possunt. Dantur enim iura inalienabilia, quae nunquam transferri possunt et quae imprimis sacra interna concernunt. Aliud autem erit dicendum de iuribus alienabilibus, siue de iis quae sacra externa tangunt. Haec ex voluntate ecclesiae omnino ab aliis exerceri possunt, vel in totum, vel in tantum. Eliguntur autem prudentiae regulis eiusmodi officiales, qui maxima auctoritate in societate pollent, quod imprimis valde necessarium esse videtur in legibus exequendis. Dum autem in ecclesia nulla dantur maiora membra, ac magistratus, inde patet, quoque illum ab administratione quorundam ecclesiae iurium, haud esse excludendum, scilicet in casu si membrum ecclesiae erit, vid. *Mosheim l. c. p. 495.* et *Puffendorf de hab. Relig. ad vitam civ. §. 4.*

## SCHOLIION. \* \* \*

Per *§*hum praecedentem, iam apparet, ecclesiae iure societatis approbatae, competere facultatem bona acquirendi et possidendi. Negatur autem ecclesiae respectu eorum immunitas ab iis, ad quae praestanda, tenentur omnes ciues, intuitu bonorum. Hinc non concipitur immunitas ab onere tributorum aliorumque eius generis, respectu ecclesiae, nisi illa speciarim prober, se titulo iusto atque ad transferendum habili, veluti legibus, pacto, possessione diuturna siue praescriptione, vel observantia eam acquisivisse. Manet enim immunitas ius quoddam admodum speciale siue singulare, quod non praesumitur, sed ab allegante quicumque etiam ille sit, probandum erit. Si autem ecclesiae deficientibus legibus atque pactis immunitatem negamus, tunc hoc modo erit intelligendum, si calamitas adest publica. Alias respectu tributorum ordinariorum, ecclesiae omnino principes indulgere solent, vel in totum vel pro parte, quia omnibus commerciis vacat, quibus tamen reliqui videntur ciues, quod etiam in terris nostris Megapolensibus, exceptis noviter acquisitis obtinet.

C

§. 5.



## §. 5.

Exercitium potestatis ecclesiasticae iuriumque ecclesiae collegialium, est *regimen ecclesiasticum*. Ipsa autem determinatio eorum, quae ad finem ecclesiae obtinendum pertinent, vi potestatis ecclesiasticae facta, est *Politia, Ordo, Ordinatio ecclesiae*. vid. *G. L. Boehmer l. c. Part. gen. §. 8.* Praecipua pars politiae ecclesiasticae, est constitutio ministerii verbi diuini, quod in praedicatione verbi & in sacris, in salutem ecclesiae administrandis, consistit. Exercetur hoc jus vi potestatis ecclesiasticae, (vid. §phus praec.) et *G. L. Boehmer l. c. §. 9.* De ministerio verbi diuini adhuc notandum erit, quod a.) prorsus diuersum sit a potestate ecclesiastica, quae est totius ecclesiae ius, eisque iura collegialia omnia comprehendit. b.) Aliae sunt ministerii, aliae potestatis ecclesiasticae iura. c.) Ministerii functiones a potestate ecclesiastica dependent & per ordinationes ecclesiasticas ab ecclesiis determinari queunt. Erroneum igitur est principium, ministerio inesse potestatem ecclesiasticam, vel quod ei delarum sit iurium ecclesiae nonnullorum exercitium, nullaque lege vel pacto, istud principium confirmatur, pastoribus iure proprio, vel diuino deberi potestatem ecclesiasticam, vid. *G. L. Boehmer l. c. §. 10. 11.* Adducti errores a clero propugnati et propagati omnes fere ecclesias turbarunt et inde nata est politia ecclesiae inaequalis eaque hierarchia, qua potestas ecclesiastica ad sacra interna producta, ministris ecclesiae iure proprio eoque diuino vindicatur.

## §. 6.

Ex conceptu ecclesiae jam §pho. 2. Sect. I. deducimus, ecclesiam non intendere commercium ciuile, sed salutem animarum. Hinc studium pietatis in monopolium, vt certis tantum personis competat, non minus, quam ex theologia opificium clausum & determinatum fieri potest. Dum sacra interna a conuictione ab eorum veritate desumta dependent, (vid. §. 4. Sect. 1.) Haec autem per coactionem effici nequit, inde pater, nullam coactionem pietatis culturam admittere, nec gladio



dio vel armis obrudi vel propagari posse. (vid. §. 3. Sect. 2.) Ecclesia constat ex bonis & improbis, (vid. §. 1. Sect. 2. n. d) & inde oritur illud notabile discrimen, inter visibilem & inuisibilem ecclesiam, cum haec pura sit, illa admixtos habeat impuros, quae non semper excludi & remoueri possunt. Ecclesia porro constat ex doctoribus & auditoribus, (vid. §. 2. Sect. 2. n. e.) Cum illi autem ab ecclesia dependent, atque ex iure potestatis ecclesiasticae ab ea constituuntur, (vid. §. 3. Sect. 2. n. e.) eorum quoque haud est imperare. Cum enim aequalitatem agnoscat ecclesia (vid. §. 2. Sect. 2.) sequitur omnia ejusdem jura esse aequalia: sic nec clericis competere jus proprium ordinandi statuta, imperandi laicis, cogendi conscientias, nec jura majoritatis et obedientiae absolutae a laicis exigendae, multo minus ex legibus iusti reuerentiam postulandi. Haec enim praestatur ex honestatis praeceptis, non iustitiae legibus. Cessat inde omnis politicus respectus, adeoque cessare debent omnes monstrosae diuisiones dominatum clericalem producentes, quorsum referenda tritissima illa diuisio inter Clericos et Laicos, quia cleri, proprie loquendo, illi saltem sunt, qui inuisibili ecclesiae adhaerent. Hinc per eam haud intelliguntur clerici, episcopi, presbyteri, nomen ecclesiae haud tribuitur templis, quae Scriptura Sacra ecclesiae per excellentiam ita dictae, seu vniuersitati fidelium vindicat. e. g. Quod sit Domus DEI, quod interiorum portae contra illam nihil valere possint, vid. *Persch in Elem. Juris Can.* §. 20. Somniant omnes, qui ecclesiam repraesentatiuam defendere, & auctoritatem conciliorum propugnare volunt, eaque Scripturae sacrae comparant. Vide infra Sect. VII. §. 3. per totum.

#### COROLLAR.

Non itaque in salute cleri salus ecclesiae posita est, non voluntati ac potestati clericorum, se submittere debent laici. Erroneum est principium illud catholicorum, laicis haud licere viam salutis inuestigare, ac conscientiam sequi; sed solummodo parere mandatis clericorum, c. 23. C. 16. quaest. 7. Laici secundum haec principia detestabilia habendi sunt pro seruis, imo pro mortuis,



quoniam proprie statum in ecclesia non tenent, nec in illa personas repraesentant, sed praesto esse debent ad nutum cleri. Hi autem sunt liberi homines, portuanculam veri Dei occupant. Clerici sunt soli spirituales, ac soli homines liberi, hinc non parent imperio civili, quam sententiam fundatam esse putant, 1 Corinth. II. 15. Reprobata maner iurisdicctio saecularis intuitu Clericorum, neque eorum consensu prorogatio illius locum habere potest. Vid. Cap. si diligentius, et cap. significasti X. de foro competente Optime autem iure civili contrarium stabilitum. Vid. L. 61. C. de episcopis et clericis, et Kahl in Element. iur. can. p. 71.

### SECTIO III.

#### DE IVRIBVS SVMMI IMPERANTIS CIRCA ECCLESIAM SINE RESPECTV AD LEGES POSITIVAS, ET PACTA CVM ECCLE- SIA CELEBRATA.

##### §. I.

**E**x superioribus jam pater, quaenam iura vi potestatis ecclesiae, Ecclesiae sint tribuenda: sed jam supra notatum, quod nobis tantummodo sermo sit de ecclesia ab imperante approbata. (vide §. 3. Sect. I.) Illa collegiorum licitorum iura legitime exercet, et media sufficientia ad scopum obtinendum adhibere potest. Contra vero ecclesia reprobata hac potestate destituitur. Vtrumque determinandi ab arbitrio imperantis dependet, nisi conventiones & leges obstant, huiusque voluntati manet relictum, num ecclesia quaedam sit recipienda, nec ne. Posterius etiam eo in casu locum habere potest, si ecclesia recipienda per se quidem *moraliter legitima*, sed tamen saluti reipublice nexia deprehenditur (vid. §. 3. Sect. 2.) Intelligitur autem per ecclesiam moraliter legitimam ea, cuius fidei et vitae dogmata nihil in se continent, quod regnaret principis religionis vel moralibus, in regione quadam



dam approbata, quae nihil docet, quod magistratus auctoritati et iuribus aduersum, quae contra salutem communem membrorum reipublicae caeterorum, nullo modo agit *Vid. Mosheim in A. G. R. p. 430.* His ex principiis religioni christianae in toto terrarum orbe, receptio non erit deneganda. In quaestione decidenda num ecclesia quadam sit recipienda, nec ne, praepremis in eo cura imperantis est collocondi, ut eiusmodi ecclesia, sit moraliter legitima et finis et media eius optima sint nec vilo modo ex religionis exercitio concessio, mala in rem publicam redundent consecutaria. Vtrum principia religionis cuiusdam veritati sint conuenientia, nec ne, imperans curare necesse non habet. In quaestione enim, vtrum religio quadam sit toleranda, an minus, veritas religionis haud indaganda est, sed vnice, vtrum conueniat principiis adductis. Si ita se habet ecclesia ab imperante, qui prudentiae regulis conuenienter agere cupit, erit recipienda. si autem contrarium locum habet et vel finis, vel media salutis publicae noxia deprehenduntur, tunc quoque erit reiicienda. Cum itaque solus respectus ad salutem publicam determinat, et receptionem et tolerantiam alicuius religionis, cum porro finis et media pro diuersitate regionum quoque diuersa sunt, inde apparere puto, ecclesiae in vna regione posse concedi exercitium religionis, quod ipsi in alia negatur, et imperans licet de veritate religionis cuiusdam conuictus, iustas rationes a statu desumtas, habere possit, ne aliena sacra introducat, imprimis si turbationes, ex concessione religionis metuit. Multis exemplis haec principia doctrinis socinianorum menonitarum, quae caeterorum, monachorum aliorumque, imprimis autem exemplo Iansenistarum a Ludouico XIV. in Gallia prohibitorum, illustrari possunt *vid. Mosheim in G. R. p. 432.*

## COROLLAR.

Ab Imperantis arbitrio et per respectum ad salutem publicam determinato libero, dependet, receptio et tolerantia religionis (*vid. § plus praec.*) hinc vni vel pluribus ecclesiis cultum, religionis permittit potest, siue quod idem est, maiestati competit *ius st.*



*multanei*, hoc est facultatem praeter receptam religionem, aliis quoque ecclesiis recipiendi, huiusque receptionis limites ponendi, nisi vel lex republicae fundamentalis, vel pactum cum ecclesia celebrata, simultaneum religionis exercitium prohibeat atque excludat. An et quatenus principibus Germaniae competet facultas, simultaneum religionis exercitium introducendi et quidem anno, vel diei normali contrarium de iis infra Sect. VI. §. 7. nobis agendum erit.

§. 2.

Mittimus ecclesiam propter principia religionis reipublicae noxia, reprobatae et potius attendimus, quae erunt observanda intuitu ecclesiae, quae consensu principis est recepta. Ea dicitur *civiliiter approbata* aliorumque in republica licitarum societatum iuris usufructu. Competit ei permissio religionis cultu, exercitium religionis, quod tum pro actuali executione actuum sacrorum, tum speciatim pro iure eisdem expediendi, id est religionem sub ministerio pastorum colendam, accipitur vid. G. L. Boehmer, *part. gen.* §. 13. Errat autem, qui ab exercitio religionis concessio ad omnes omnino actus sacros ab ecclesia expediendos concludit. Imperanti iustae possunt esse rationes maxima iura ecclesiae cuidam toleratae tribuendi, quae alteri negat, aut saltem limites ponit. Exercitium religionis cuiusdam eam ob causam esse potest, vel *publicum*, vel *priuatum*. Vtrumque quidem in eo convenit, ut utrobique sacra peragere possint, sed tamen intuitu modi, loci, atque temporis differentia manet. *Publicum* enim religionis exercitium in aedibus publicis et templis cum solenni liturgia, pulsu campanarum variisque peragitur processionibus. *Priuatum* vero vel ad aedes priuatas restringitur, vel si templi cuiusdam exstructio conceditur, pulsu tamen campanarum destituitur exsulantque processiones, vid. *Pertsch. in Elem. Iur. Can.* p. 30. et 33. ab utroque differt *deuotio domestica*, quae est ius singulorum seorsim, vel saltem in familia secundum religionis suae confessionem instituendi sacra pastorum ordinatarum ministerio non interueniente. *Deuotio domestica* in Germania, etiam iis salua manet, qui nec publicum, nec priuatum religionis





nis exercitium habuerunt in anno normali per Instr. pac. Osnebrug, art. V. §. 34. (vid. etiam infra sectio V. §. 6.) Ecclesiae, cui competit publicum religionis exercitium in provincia quadam, sibi hoc vindicat, vel per totum territorium eius, vel per determinatam territorii partem. Si prius religio dicitur *dominans* siue *simpliciter recepta*, si autem posterius audit *secundum quid recepta*. Dominans religio vi notionis esse potest, siue imperans ei sit addictus, siue non *vid. G. L. Boehmer l. c. §. 16.* In ecclesia quae tantum priuato religionis exercitio gaudet, omnia mutuo consensu determinantur, prouti olim in primitiua ecclesia seculis prioribus factum. Quae autem sub imperante hoste sunt determinanda, concernunt vel ecclesias singulas, vel omnes in communi. Priora negotia a singulis mutuo consensu determinari possunt. Posteriora autem, quae veluti communem doctrinam et fidem concernunt, per synodos constantes et deputatos singularum ecclesiarum, commodissime expediuntur.

## SCHOLIION \*

Magna differentia manet, inter *recipere* atque *tolerare ecclesiam*. Prius fit vel permissio vel concesso religionis exercitio et tolerare personam religioni cuidam addictas, quod fit sine religionis exercitio. Alia tolerantia est *necessaria*, quae ex lege praestanda est. Alia vero *voluntaria*, quae pender a voluntate eius, qui iure reformandi in territorio pollet.

## SCHOLIION \*\*

An haeresis sit crimen, est quaestio ab aliis iam ventilata, *vid. Thomafus in Spec. Diss.* Si haeretici, siue personae ab ecclesiae dominantis principiis dissentientes, in nexu erga Rempublicam considerantur, non ob dissentium quidem poenis adficiuntur, *vid. §. 1. Sect. 2.* omnino autem eam ob causam poenas haeretici luunt, si religionis suae exercitium absque maiestatis venia impetrata introduxerunt. Non igitur haeresis per se, sed tantummodo per accidens poenis vindicatur. (*vid. infra §. 4. Coroll. Sect. 3.*)



## §. 3.

Concesso religionis exercitio vel publico vel priuato, tamen ex eo ecclesia recepta sibi non vindicat jus adornandi pro lubitu, quae vult, sed potius semper habeat respectum in exercitio potestatis ecclesiasticae ad salutem Reipublicae. Principi vi summi imperii, manet ius inspiciendi, ne ecclesia recepta, potestate sibi tributa, abutatur in reipublicae damnum. Inde concipitur imperii ciuilibus *ius reformandi exercitium religionis*, quod semper saluis legibus fundamentalibus et saluo subditorum iure quaesito, erit exercendum. Non itaque consistit in iure disponendi de aliorum religione, quod nemini mortaliu comperit, sed potius in eo, vt recepta ecclesia nihil in praedictum Reipublicae agat & salus & tranquillitas publica detrimenti quid ex ecclesia recepta ejusque potestatis ecclesiasticae exercitio haud capiat. Optime igitur est fundata eorum sententia, qui omnem ecclesiam in Republica *inspersioni supremae imperantis* subesse defendunt. Dum autem princeps ecclesiae cuidam religionis exercitium tribuit, eo ipso ad tutelam et defensionem ejus publicam obligatur. Ad impedimenta actus diuini remouenda, ad tuendum exercitium potestatis ecclesiasticae, vbi hoc executione & publico auxilio indiget & denique ad repellendam aliorum vim & injurias, nec non ad ecclesiae iura in litem vocata tuenda, tenetur Imperans, *vi iuris aduocatae vel patronatus*, vid. G. L. Boehmer l. c. §. 20. Maiestas vi auxilii, quod ecclesiae receptae debet, manet obligata, ad defendendam ecclesiam, si vel a membris ciuitatis laedatur, vel si extranea, vel persona, vel gens, vel societas, vel ecclesia eandem turbet. Defensio non tantum debetur vniuersae ecclesiae, sed singulis quoque ecclesiae membris. Sic omnes quoque obligationes, a maiestate vniuersae ecclesiae praestandae, suo modo quoque, singulis ecclesiae membris erunt praestandae. In omnibus hisce hactenus explicatis coniunctim sumtis, consistit *ius circa sacra*, quod et *majestaticum* dicitur et principi qua principi comperit, nec ei vi notionis imperantis, renuntiare valet. Est autem illud *ius, vi imperii ciuilibus, ea determinandi, quae in ecclesia respectum habent, ad reipublicae salutem, vel tranquillitatem publicam*, vid. Pufen-

Pufen-



*Pufendorf de hab. relig. Christianae ad vitam civilem §. 43. et 44. add. G. L. Boebmer l. c. §. 21.* Hoc ius circa sacra imperantis, ipsa ecclesia Catholica quondam fundatum declaravit et necessarium habuit, ad disciplinam ecclesiasticam muniendam, modo cognoscant principes seculi, se Deo debere rationem reddere propter ecclesiam, prouti ordinatum in c. 2. C. 23. q. 5.

## C O R O L L A R.

Ius circa sacra maiestaticum, itaque prorsus alieni quid inuoluit, ac potestas ecclesiastica et iura collegialia, quae ei insunt. Haec principi qua principi non competunt, nec ipsi competere possunt quam ex ecclesiae consensu, manent potius iura ecclesiae soli exercenda propria, *vid. de Cramer de iure maiest. et collegiali circa sacra §. 17.* Cessat igitur ius patronatus eo sensu, ut denotet ius, maiestati competens, vacantibus muneribus prospiciendi, manet potius ius ecclesiae propriam, nisi vel ob abusum ecclesiae, princeps sibi exercitium ejus aut ex suprema inspectione, aut ex juré advocatae vindicet, (*vid. §. 5. Coroll. 3. Sect. 3.*) vel princeps, dum ecclesiam recepit, sibi hoc jus specialiter reservauerit, vel per observantiam ecclesiasticam communem, principi ius patronatus propter aedificationem, dotem atque fundum, ecclesiae templorum, sit attribuendum. Cessat etiam in regula, nisi observantia probata, ius primariorum precum, scilicet: ius imperantis, durante regimine nominandi aliquem, ad unicum beneficium in capitulis singulis ditionis suae vacaturum, ejusque collationem, ordinario Collatori praeciipiendi, *vid. Joh. Jac. Moser Miscell. Jurid. histor. §. 4. Tom. I. p. 3. seqq.* In quantum hoc ius a Caesare in Germania exerceatur, (*in Sect. VI.*) pluribus inuestigabimus. Manet itaque generale axioma: ecclesiam, quamvis semper supraemae inspectioni et advocatae subesse censeatur, tamen caetera omnia jure suo determinare, quae pertinent ad scopum obtinendum, nisi principi libero consensu vel tacito vel expresso, etiam exercitium iurium suorum collegialium tradiderit, quod prius in Germania ab Evangelicis factum & statibus I. R. G. per pacem religiosam atque Westphalicam, donec dissidia circa religionem orta

D

conq.



composita fuerint, confirmatum est. Ius retrahendi in casu abusus, ecclesiis saluum, nunquam exerceri potest, si principes Germaniae potestatem ecclesiasticam, semper vt talem, quae ab imperio ciuili separata est, considerabunt.

§. 4.

Maxima autem iura imperans recte sibi competere asserit, quamuis ecclesiastica potestate destituatur. Luber illa, quae praecipua sunt, paucis notare. Competit igitur principi ex axiomate priori seu *suprema inspectione*, facultas a) ecclesiam recipiendi, vel tolerandi vel societatem sacram quidem iam receptam, sed saluti publicae noxiam remouendi & emigrationem injungendi, quatenus haec facultas nec per leges, nec per pacta conuenta restricta est, prouti in Germania factum est, dum hoc ius principum tantummodo saluo anno decretorio exerceretur. (vid. §. 5. & 6. *Seft. V.*) In principio adducto Germaniae principes tempore reformationis, iuris reformandi fundamentum collocarunt. b.) fines & limitationes exercitii religionis, item locum, tempus & ordinem determinandi, vbi & quo religionis veritas est explicanda & sacra sunt celebranda, modo ea non mutantur, quae pertinent ad ecclesiae cuiusdam receptae sacra interna, (vid. §. 4. *Seft. I.*) c.) Inspiciendi libros symbolicos & si in iis aliquid deprehenditur obscuri, vel dubii, interpretationem ejus imperans jure suo exigit. Insuper ab ecclesia recepta, cautionem satis idoneam postulare potest, vt intuitu symbolorum nihil mutetur & noui quid introducatur. Si autem pro concurrentibus circumstantiis noui quid introducendum foret circa dogmata fidei, aut vitae, aut circa liturgiam, vt in eo casu summi imperantis consensus ordine decenti requiratur. vid. *Mosheim in G. R. p. 526.* d.) Ius leges ecclesiae conuentionales poenales & liturgicas examinandi. e.) ius praecauendi, ne per ecclesiae statuta iuribus imperii derogetur. Inde concipitur ius reformandi & tollendi abusus iuribus imperii derogantes & introducendi inter subditos circa religionem dif-

fer-



sentientes rolerantiam (politicam). Tribuendum porro erit  
 principi f) jus disponendi circa liturgiam ritus & adiaphora,  
 g) ius praecauendi, ne censura ecclesiastica in genus aliquod  
 imperii inualescat, vel alio modo in abusum trahatur. h) ius  
 visitandi, per quam velit personam, conuentus ecclesiasticos.  
 i) jus constituendi certas personas, quae in ministros ecclesiae  
 inspectionem habent, ne ab ipsis docendi limites transgredian-  
 tur. Denique imperans etiam sibi vindicat k) prohibitionem,  
 ne ecclesia ultra modum & in damnum Reipublicae bona ad-  
 quirat. Hinc quidam statuunt, bona ecclesiastica a principe  
 posse in rem ciuilem verti, arque ingens eorum augmentum  
 impediri posse publicata amortizationis lege, imprimis si bona  
 ecclesiae superflua ad pios alios vsus, e. g. ad academias eri-  
 gendas vel dotandas adhibentur, vid. MAVRITIVS et RHE-  
 TIVS de *secularisatione bonorum ecclesiasticorum*, sed princeps sibi  
 hanc facultatem in receptione non reseruans, sed potius omni-  
 um iurium socialium exercitium ecclesiae simpliciter permit-  
 tens, tunc demum iuste promulgabit, legem amortizationis,  
 si plane nullum superest dubium, ingens bonorum ecclesia-  
 sticorum augmentum, verti in irreparabile damnum Reipubli-  
 cae, quam cautionem iustam, si obseruassent principes secu-  
 lis tribus prioribus effluxis, a iugo pontificis atque episcopo-  
 rum, liberi fuissent.

#### C O R O L L A R.

Princeps ecclesiae receptae, sed Reipublicae noxiae, emigrationem  
 recte iniungit (per Sphum praec. a). Quam facultatem ma-  
 iori adhuc iure exercet intuitu eius, quae cultum sacrorum  
 publicum, propria auctoritate instituit.

#### §. 5.

Respectu ecclesiae receptae, imperans gaudet *jure Aduo-  
 satiae*, (vid. Sphus 3. Sect. 2.) Inde concipitur a) jus refor-  
 mandi sacra, si vel in doctrina, vel in moribus irreperunt  
 D 2 abusus.



abusus. b) Ius componendi et dijudicandi controuersias fidei, eamque ob causam conuocandi Synodos ecclesiasticos, si illo modo subortas circa religionem controuersias & tumultus optime sopiri arbitratur. Sic ab antiquissimis temporibus concilia conuocabant Imperatores. In casu vero, quod ea via scilicet per Synodos lites in ecclesia magis crescant, quam decrescant, imperans pollet iure, determinandi doctrinam publicam, imprimis si membra ecclesiae inter se dissentiant, modo non superhabeat verbum Dei, vel confessionem istius ecclesiae approbatae, in qua controuersiae ortae sunt. Non itaque pro arbitrio disponere potest imperans circa controuersias. Sed respiciat ad normas ipsi praescriptas. Ad eas autem optime interpretandas consilii erit, alia eiusdem ecclesiae membra non litigantia consulere. Illis, qui in iis, quae a principe hoc modo determinata sunt, aduersare nolunt, emigrationem injungere potest. vid. *Müller de emigratione religionis causae suscipiendi*. c.) ius visitandi & erigendi scholas earumque bona dispensandi. d.) ius exercendi iurisdictionem ecclesiasticam & temperandi disciplinam. e.) ius praecauendi, ne vitiosi ministri ad munus ecclesiasticum grassentur. Hinc vita, mores et salaria ministrorum ecclesiae, imperio summo, sunt subordinata. Ex hoc principio, princeps sibi vindicat, ius confirmandi ministros ecclesiae & iuramentum ab illis postulandi, ne aliquid in damnum Reipublicae moliantur, sed potius semper ecclesiae membra ad obedientiam magistratui praestandam hortentur. vid. *Mosheim c. l. p. 528. §. 16. seqq.* Personam munere sacro indignam & principis iussibus in licitis non obtinentem, per consequentiam axiomatis, imperans iuste remouet. Imperio & Aduocatae principis f.) bona ecclesiae eorumque administratio & alienatio sunt subiecta & suam auctoritatem fere in omnibus, quae in ecclesia suscipiuntur, princeps interponit. Porro g.) caueat majestas, ut ordo ecclesiae fini contrarietur, & caeremoniae abundent, deficiant, aut vitia vel superstitionem promoueant, ut praeces vel abusu, vel contemptu laborent, ut Deus in ecclesia colatur lingua, quam paucissimi sibi reddiderunt cognitam, ut vnio tollatur fidei. Libertatem

fatem autem sentiendi vel credendi imperans haud restringat, nec iuramentum de libris symbolicis examini non subiiciendis vel de religione nunquam mutanda exigat. vid. *Engau in Elem. Iur. Can. §. 51. & 52.* modo ex hac libertate non oriuntur controuersiae, quae in tumultus abeunt. Hoc enim in casu vi imperii, si membra ecclesiae inter se dissentiunt, determinat, rem controuersam obseruatis illis, quae *sub n. 6. h. §phi.* sunt adducta.

SCHOLION \*

In casu, si controuersiae circa dogmata fidei ortae sunt, quae ab ipsa ecclesia componi nequeunt, principi debetur decisio, ob jurisdictionem, quam in omnibus Reipublicae ciuibus exercet, quorum idea quoque in membris ecclesiasticis cadit, obseruatis nempe illis, quae in §pho. sunt adducta. Quam facultatem autem principi omnino competentem negat *Mosheim in G. R. p. 529. §. 16. n. 6. & p. 540.* qui modo decisionem principis in iis controuersis, habet fundatam, quae fidem & conscientiam membrorum & religionis essentialia siue sacra interna non concernunt. Cognosceret igitur maiestas his ex principiis lites de obligationibus ciuium respectu ecclesiae ortas, nec non de delictis, quibus laesa est ecclesia, imo de causis ecclesiae ciuilibus atque de iis, quibus laedi possit per ecclesiam ciuitas. Quodsi uero oriuntur in ecclesia lites de rebus ad conscientiam & fidem pertinentibus, eas nec iuste decidere poterit maiestas, cui uero recte asserendum jus pacem imperandi easque lites & controuersias prohibendi, salua cuiusuis sentiendi libertate & conscientiae ratione.

SCHOLION \*\*.

Ex illis duobus fontibus, quas supra consentiente *celeb. Boehmero* adduximus, jus principis circa sacra solummodo erit deducendum. Negatur autem deficientibus legibus & pactis principi exercitium iurium collegialium ecclesiae, nisi casus existat, quo potestatem ecclesiasticam, sibi *ex jure deuolutionis* vindicare possit. Consistit autem ius deuolutionis in facultate principis iura collegialia ecclesiae toties exercendi, quoties ecclesiae membra quouis modo impedita suis iuribus in ecclesiae commodum uti non possunt, vel suo ipso dissentu recte uti nolunt, vel iis abutuntur,



vid. *Canzii disciplina moralis Disc. IV. P. I. C. 4. §. 22. 76.*  
*Steck de jure Devolutionis Sect. I. Jus Devolutionis principi &*  
*ex suprema inspectione & ex jure advocatiae singulatum, vel*  
*conjunctim sumto debetur,*

§. 7.

Quibus modis ecclesia externa esse definit est quaestio, quae pertinet ad generaliora omnium ecclesiarum. Pluribus illam inuestigaremus, si aliquid singulare hoc loco occurreret. Ecclesia enim externa iisdem modis tollitur, quibus aliae societates in Republica vel mutuo consensu vel tolerantia a maiestate societati negata, vel membrorum societatis morte naturali aut civili. Sed haec partim ex superioribus (§. 3. *Sect. 3.*) adductis, partim ex principiis communibus patent, ad quae lectorem mittimus.



De conceptu Ecclesiae secundum dogmata Pontificiorum, nunc nobis agendum esset, quae sectio etiam cum reliquis iam elaborata. Sed sufficiant in praesentia ea, quae iam dicta sunt, ne limites programmatici excedam. Scripti praesentis finis postulat, ut cum honoratissimis huius Almae civibus, communicem praelectiones, per futurum semestre instituendas. Tradere autem pergam, *Ius Canonico-Pontificio-Ecclesiastico-Protestantium*, et quidem per aestatem in libros posteriores, prioribus scilicet de iure personarum et rerum absolutis, ad ductum *Compendii Kahliani hora IX-X*, com-

men-





mentabor, ita vt ea omnia, quae ius Canonicum in-  
tuitu negotiorum, tam in foro ecclesiastico, quam saecu-  
lari agendorum disponit et quae in iure Ecclesiastico de-  
licta concernunt, explicem, eorumque vsum hodiernum  
simul ostendum. Hora X - XI. *Iob. Rudolph. Engauii*  
*Elementa iuris criminalis Germanico-Carolini*, ad in-  
stantiam quorundam suauissimorum Commilitonum in-  
terpretabor, et tandem hora XI - XII. *Institutiones Iu-  
stinianae* duce *Heineccio* tractabo. Eorum etiam desi-  
derio lubenter satisfaciam, qui vel per hoc semestre, vel  
per hiemem *praelectiones pandectales praeeunte Hel-  
feldio*, in compendio nuperrime edito, vel *Statisticas*  
secundum lineamenta *Gebaueri* vel institutiones *celeber-  
rimi Achenwallii* desiderant. Praelectionum initium erit  
die XXII. Aprilis. Faxit fons omnium bonorum, vt in  
sui nominis altissimi gloriam et cupidae legum iuuentu-  
tis commodum vertant studia nostra. Scrib. in Acade-  
mia Varniaca, in feriis Paschatis A. R. S. MDCCLXV.




31

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be organized into several lines.



Rostock, Diss., 1759-76

X 228 42 89





PROGRAMMA  
Q V O  
DE  
IVRISPRVDENTIA ECCLESIASTICA  
CAVTE TRACTANDA,  
SPECIMEN PRIMVM SISTIT,

SIMVLQVE  
PRAELECTIONES  
PER INSTANS SEMESTRE  
AESTIVVM

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI  
INSTITVENDAS,  
INDICIT

IOANNES CHRISTIANVS  
QVISTORP

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS,



Ex num.

16

1785, 1.

1785  
1786